VIII, 501.

S. Accepi mi obseruande Blaurere, quae de Caluini nostri
innocentia et Geneuensis ecclesiae incolumitate liberaliter rescribuntur,
idque cum ~~[illegible]~~ voluptate animi, tanto uberiore, quanto plus scandalorum
in tota Christi universa oriturum fuisset, quantoque Satanae amplior
occasio ad nocendum, si ~~Aut~~ Ecclesiam tam illustrem, et Antistitem
eius tantum virum, transuersum adeo agi contigisset. Gratias ergo
agamus Domino Deo, qui sua virtute et spiritu, suos numquam non misericor-
diter gubernat et tuetur a malo, quod ut porro faciat, precari serio
debemus omnes. Remitto tibi tua et gratiam habeo. Lopadium
nostrum quia ad te venisse iam aut venturum intelligo, commendo unice tibi.
Consului super eius negotio cum grauibus aliquot et primis, quorum consilio
et opera spero ad sanitatem reduci posse omnia. Amatur a nostris, et non sine
fructu proinde ministrare hic potest, eoque maiorem ~~[illegible]~~ debet habere
curam nostrique omnium rationem. ~~De~~ In absentia eius agi constituimus nihil
posse, quod pro tua prudentia ipse nosti. Noua nulla nunc quidem
nisi quae ex Saxonia accepi, de Archiepiscopo Magdeburgensi, quem scribunt
cum Senatu Brandenburgensi, de omnibus controuersiis amice transegisse et compo-
situm fuisse, et quidem quod ad religionem attinet, ita concessisse illis liberam,
tum et ecclesias sui Episcopatus ex ciuitate, iuxta Augustanae confessionis for-
mulam reformare constituisse. Comitia Ratisbonae restaurabuntur.
Sed pace sarta religionis Principes obtinuerunt, ciuitatibus tamen
in ea qua hactenus fuerunt sorte permanendum erit, id quod Argentina
nostra Respublica aegre ferens, protestata est, se se decreto illigari
nolle, et supplicem libello ad Regem ~~[illegible]~~ principes misit.
Bene vale in Christo Iesu cum vx. et tuis omnibus. Basil. 21
Octob. Anno 1551

T. Sulcerus totus

Joachimi Electoris filio

M. Ambrosio Blaurero
Dno suo colendiss.

Sulcerus

21 octobris
1553

f. Bräitingllam